MARCI VALERII
MESSALAE CORVINI
AUGUSTO COEVI
VITA
EX VETERUM TESTIMONIIS CONCINNATA
ACCEDIT EPISTOLA
DE EDITIONE ROMANA LIBELLI
AD AUGUSTUM
DE PROGENIE SUA.

Inspicere, tamquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo: atque ex aliis sumere exemplum sibi
Hoc facito . . . . hoc fugito . . .
Hoc laudi est . . . .

Terentius Adelph. act. 3. *scen.* 3. *vers.* 62.

ROMAE 1821.
TYPIS LINI CONTEDINI

R. P. D.

HIERONYMO TESINI

XII VIRO SENIORI EMERITO

A LIBELLIS APPELLATIONUM

VICE SACRA SIGNANDIS

RAPHAEL MECENATE

FELICITATEM.

Plura Veterum testimonia collegeram aptissima vitae concinnandae *Marci Valerii Messalae Corvini* Augusto coaevi, eaque ornatui addideram edito a me superiore anno libello *ad Augustum de progenie sua*, qui Messalae nomine inscriptus, sed foede corruptus circumferebatur tanto nomine indi-

gnus, at mei ope codicis ita restitutus, ut ad illam posset quandoque accedere aetatem. Excitavere me tunc perhumaniter Arcades, ut quoties intermitterem labores forenses, occuparem otium in ipsa vita summi viri, per graviora tempora Romanae majestatis, conscribenda; atque ut adiicerent animum aliquid etiam in id contulerunt. (1) Gratus igitur urbanitati illorum suscepi provinciam a nemine ante peragratam. Fuere enim egregii Scriptores recentiores, qui ab historia Romana collegere, veluti in speculum, vitas hominum celebrio-

(1) Giornale Arcadico quaderno XXIII. Novembre. 1820. pag. 212. e segg.

rum, Terentii Varronis, Marci Tullii Ciceronis, Scipionum, Corneliorum, Antonini, Alexandri Severi, Cilnii Maecenatis, aliorumque minoris, ut putant, gentium, qui literis solummodo claruere, (2)

(2) Abstemius vita Epaminondae. Fani 1502. Marcus Vetranius Maurus ad Blaesium Cauletium de vita Marcii Terentii Varronis Lugd. 1561. Petrus Nannius de claris Corneliis, et Carolus Sigonius de vita Publii Scipionis Aemiliani cum S. Aurel. Victore. Amstel. 1733. Antonius Bendinellus vita Scipionis Aemiliani. Florentiae 1549. Goltzius vita Octaviani Caesaris Augusti. Burgis 1574. Everardus Otto de Servio Sulpicio Rufo. Traiec: ad Rhen. 1725. Valsechius de Marco Aurelio Antonino Elagabalo. Florentiae 1711., et de imperio Severi. Florentiae 1715. Masson vitae Horatii, Ovidii, Plinii. Lugd. Bat., et Amstel. 1708. 1709. Midletton vita di Cicerone. Napoli 1748. Cenni Vita di Cajo Cilnio Mecenate. Roma 1681, Viola vita del medesimo Roma 1816. Secondo G. M. Vita di Gajo Giulio Cesare. Napoli 1776. De la Bleterie I. P. histoire de L' Em-

Messala autem *Corvinus* hic mihi relictus est. Comparavi autem segetem uberiorem adeo, ut vir forte praestantior alter Romana haud emergat ab historia, quam *Messala Corvinus* Augusto coaevus, dignus memoriae perpetuae, scriptore Svetonio, aut Plutarco, aut Diogene Laertio, Corneliove Nepote potius, quam conquisitis ut testimoniis veterum commendetur aetate remota nimis ab impare ponderis ipsius memoriae restituendae.

pereur Iulien. Paris 1748. Flechier histoire de Theodose le grand. Paris 1679. Sainte Marthe vie de Cassiodore. Paris 1694. Anonymus denique auctor Vitae Senatorum quatuor Romanorum, Hortensii Oratoris, M. Porcii Catonis Uticensis, Serv. Sulpicii Rufi Jurisconsulti, L. Annaei Senecae edit. Venet. 1748.

Qualecumque tamen concinnaverim commentarium de vita illius, in viro illustri haec mihi summa claruisse videntur: Prudentiam civilem cum probitate conjunctam; oratoriam, et juridicam facultatem; virtutem denique militarem: Quorum duo priora miratus in te, ubi tertium ab institutis nostris est alienissimum, arbitratus sum libellum jure veluti suo te patronum exquirere: Cum enim florente aetate jus dicebas in subsellis Urbanae Praeturae, Jurisconsultum te, et prudentia civili praestantem comprobasti: Gravius cum *Pii Sexti P. M.* graviore judicio cooptatus inter ejus domesticos Praesules, sta-

timque missus ad compescendos motus Roncilionis, et circumstantium oppidorum; re bene, ac prudenter, cumque dignitate, et clementia Principatus gesta, et gratia etiam apud eos, ad quos eras missus ut animadverteres, legationem novam meruisti difficiliorem ad conciliandos dissidentes Populos Montis Porcii, et Montis Compatrum, me socio ejus legationis assumpto benignius. Quod opus acceptum Celsissimo Cardinali Eboracensi Episcopo Tusculano Regiae Stuardae Gentis ultimo, tuo, meoque Patrono, et ipsis populis conciliatis gratissimum; post publica in Tusculo monumenta, commendationem promeruit immor-

talis Pontificis cum te, cumulata remuneratione, praefecit regendo Collegio Germanico, Seminario Antistitum ex flore Germanicae Nobilitatis nuncupato, simulque inter Duodecemviros a libellis appellationum vice sacra signandis adlegit. Atque in his etiam muneribus exercendis, Germanica praesertim Praefectura semper ardua, et tunc maxime difficili, me teste et adjutore imbecillo, prudentiam tuam veterem jugiterque confirmatam omnes recordamur. Etsi humanarum rerum vicissitudines, publicaeque calamitates gradientem Te altius intercepеrint adeo, ut tandem, pacatis rebus, oportuerit ab honorum

curriculo recedere, ingravescente valetudine, vacatione donatum, sed fama, et gloria gestorum permanente, tuique apud omnes bonos desiderio. Utinam non recessisses .... Divisus autem loco, non animo, cum fuerim, testandum tibi palam et publice obsequium meum censui, oblato munusculo argumenti proprie tui; ob gratum quoque animum, et memoriam societatis studiorum nostrorum; forte etiam fortunae; nisi despexisses. At certe, si fas est dicere in summa disparitate,

Amicitia pares aut accipit, aut facit.

genio saltem istarum deliciarum, in quibus quidquid forenses labores patiebantur otii occupaba-

mus: Quamobrem, etiam hoc nomine, dedicatione hujus libelli perpetuam grati animi memoriam suspendendam suasit amicitia inita inter studia communia, laboresque. Excipe igitur munusculum, ſove, protege, meque potiora tentantem antiqua benignitate prosequere.

Dabam ex meo musaeo. Kalendis Maiis 1821.

IMPRIMATUR.

Si videbitur R̃mo P. Mag. S. P. Apost.

Candidus Maria Frattini Arch. Philipp. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Dominicus Piazza Or. Præd. Mag.
et Socius Rmi P. M. Sac. Pal. Apost.

MARCI VALERII

MESSALÆ CORVINI

AUGUSTO COEVI

VITA

EX VETERUM TESTIMONIIS CONCINNATA.

I. Qui vitas clarorum virorum scribunt a nobilitate generis exordiuntur: At *Marci* hujus *Valerii Messalae Corvini* vitam scripturo quum indicet nomen, procedere illum a gente *Valeria*, longum foret, et forte lecturis toedii, tot illustrium virorum seriem, quae ad istam gentem pertinet, sumentem exordium a *Valerio Poplicola* altero ex primis Romanae libertatis assertoribus, illam perducere ad hunc usque *Marcum Valerium*, qui et *Corvini*, et *Messalae* cognomentis adjunctis incidit in aetatem Octaviani Caesaris Augusti. Concinnius propterea ab origine cognomentorum initium ducam, quae *Valeriis* accesserunt. *Corvi* cogno-

mentum, quod postea in *Corvini* migravit, primo tributum fuit Tribuno Militari *Marco Valerio*, qui non amplius, quam annos viginti natus singulari certamine Gallum ingentis corporis, ac metuendae foerociae occidit adiutus numine *Corvi*, consulque factus ob istam celebritatem anno insequenti ab Urbe condita 406. teste *Livio lib.* 7. Cap. 26., *Fastis consularibus ad istum annum*, *et Val. Max. Lib.* 8. *Cap.* 15. §. 5.

II. Quo pluribus functo consulatibus, occurrit alter in Fastis anno U. C. 458. *Marcus Valerius Corvus* secundo Consul, qui et *Maximus* dicitur et Dictator fuit: Deinde alter et Consul anno 491. *Marcus Valerius* adiecto etiam cognomento *Messalae - Quod primus Messanam vicit, et primus ex Familia Valeriorum, urbis captae in se translato nomine, Messana appellatus est, paulatimque vulgo permutante litteras, Messalla dictus* - teste his verbis *Seneca de brevitate vitae cap.* 13. et paulo diversis *Macrobio Saturnal. Lib. I.*

cap. 6. et denique *Plinio Lib.* 35. *cap.* 4. - *Quem accepimus*, ait Tullius in Catone Majore, *ad centesimum annum vitam suam produxisse, cum esset exacta jam aetate in agris, eosque excoleret, cujus inter primum, et sextum consulatum, sex, et quadraginta anni interfuerunt - et Val. Max. lib.* 8. *cap.* 13. §. 1. additque *Plinius lib.* 7. *cap.* 48. -- *sella curuli semel, et vicies sedisse, quoties nemo alius* -.

III. Is Tritavus videtur ejus, cujus vitam insequimur. Abavus *Marcus Valerius Messala*, qui consulatum subiit Anno 566. Proavus Manius Valerius Messala Censor cum P. Servilio. Avus *Marcus Messala Niger*, qui post consulatum Ciceronis, exacto biennio, refertur in fastis ad annum 693. Pater denique, certiori calculo, videtur fuisse *Marcus ille Valerius Messala* alter, qui consulatu functus est anno 701. et apud Scriptores veteres distinctus specie *Senis*, dum hunc nostrum distingunt antonomasia Oratoris (1). Neque enim ista celebri-

(1) Plinius Hist. Nat. lib. 35. cap. 2. edit. Harduini tom. 2.

tas *Oratoris* congruit patri ejus, qui consul fuit ad annum 701. Etsi enim aliquam captaverit ille Oratoris famam, laudatus imberbis a Cicerone pro Roscio §. 51. ut qui eam causam pro - *fori judiciique ratione suscepit* - , sed dicere non potuit, quod - *satis aetatis ac roboris non haberet, quoniam ad dicendum impedimentum est aetas et pudor, qui ornat aetatem, causam mihi* (Ciceroni) *tradidit* . . . . *ipse assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia perfecit, ut Sexti Roscii vita erepta de manibus Sectorum sententiis judicum permitteretur* -; Aetate provecta tamen Messala hic minoris habitus, et reputatus fuit ab ipso Cicerone - *minor natu quam nos nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere verborum, prudens,*

pag. 679. *Extat Messalae* ***ORATORIS*** *indignatio, qua prohibuit inferri genti suae Levinorum alienam imaginem. Similis causa Messalae* ***SENI*** *expressit volumina illa, quae de familiis condidit, cum Scipionis Africani transisset atrium, vidissetque adoptione testamentaria Salutatoris (hoc enim ei fuerat cognomen) Africanorum dedecore notam irreptam Scipionum nomini. Sed pace Messalarum dixisse liceat etiam mentiri clarorum imagines.*

acutus, minime incautus, patronus in causis cognoscendis, componendisque diligens, magni laboris, multa opera, multarumque causarum – in Bruto §. 70. – *Actor in Clodium severus, et vehemens remotus a causa* – *Cicer. ad Atticum lib.* 1. *epist.* 13. Nec militari virtute magis praestitisse videtur, ut qui, in deditione Uticae, adhibitus tantum a Caesare portarum custodiae notatur ab uno *Hirtio de bello afric. cap. 88. fin.*, nec ulla decentior ejus occurrit mentio. Postremo famam reliquit de se ambiguam, teste ipso Cicerone ad famil. ep. 4. lib. 8. – *primum absolutum Messalam, deinde eumdem condemnatum* – asserens, ut creditur, ambitus.

IV. Missis igitur frequentibus, in quibus mentio occurrit Messalarum, lapidibus, pertinere ad hos postremos, videtur lapis terminalis, quem cl. Advoc. Fea, detectum recens, retulit in fragmentis fastorum consularium, et triumphalium pag. XXXVIII.

M. VALERIVS M. F.
M/. N. MESSAL.
P. SERVILIVS C. F.
ISAVRICUS CES.
EX S. C. TERMIN.

Servilius enim iste *Isauricus* publico funere elatus fuit anno U. C. 710. secundum Eusebium in Chronico Num. MDCCCCLXX.

V. Ad posteros quod attinet *Messalae Corvini* hujus Augusto coevi, productamque generis nobilitatem, (praetereundus enim est frater ejus *Gellius* proditione notatus a Dione) satis est expendere in Fastis anno U. C. 742. Consulem *Marcum Valerium Messalam Barbatum Aemilianum*, et anno 758. alterum, cui nomen *Valerius Messala Volusus*: uterque forte istius, cujus vita indagatur, filius; at alter certe: Alteruter vero qui, perdita demum libertate Romana foede adulatus fuit Tiberio (2):

(2) Cornel. Tacitus Annal. Lib. I. cap. 8. pag. 15. et 16. edit. Trajec. Batav. 1721. - *Tiberius nihil primo Senatus die agi passus nisi de supremis Augusti. . . . Tum consultatum est de honoribus:*

Nam alterum fuisse hujus *Messalae oratoris* filium *Messalinum Cottam* auctor est *Plinius hist. nat. Lib.* 10. *Cap.* 22. *princip.* et constat ab epistolis de Ponto ab Ovidio ad illum scriptis, indicantibus jam tum aulicum alterutrius fratris genium a Tacito notatum, patrisque aequam laudem continentibus (3). Nec defuit huic

ex queis maxime insignes visi, ut porta triumphali duceretur funus . . . . . Addebat Messala Valerius, renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii. Interrogatusque a Tiberio, num se mandante eam sententiam prompsisset? sponte dixisse, respondit: neque in iis, quae ad Rempublicam pertinerent consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis. Ea sola species adulandi supererat.

(3) Ovidius Epist. 7. de Ponto ad Messalinum alterum Messalae hujus filium.

Nec tuus est Genitor nos inficiatus amicos,
Hortator studii caussaque faxque mei.
Cui nos et lacrymas, supremum in funere munus,
Et dedimus medio scripta canenda foro.
Adde quod est frater tanto tibi junctus amore
Quantus in Atridis Tindaridisque fuit.
Is me nec comitem nec dedignatus amicum est:
Hic illic vestro sub Lare semper eram.

Et lib. 2. epist. 2. ad eumdem.

Ille domus vestrae primis venerator ab annis
Pulsus ad Euxini Naso sinistra freti.
Mittit ab indomitis hanc Messaline salutem
. . . .

Valerio Messalino honos consulatus, quum illius quoque nomen relatum sit in Fastos ad annum U. C. 751. insigne victoria in Pannonia et Dalmatia ob fugatum magnum hostium numerum cum parva suorum manu.

VI. Sequuntur deinde alii in Fastis notati consules *Valerii Messalae*; alter cognomento *Thrasiae Prisci* anno U. C. 949. plerique Messalae tantum dicti, omnes cognomento *Corvini* deposito, ad extremam usque potentiae Romanae aetatem sub *Anastasio*, hoc est anno U. C. 1259., quo *Flavius Messala* consul occurrit; haereditaria propemodum apud eam gentem facta dignitate consulatus. Hoc itaque genere illustri, et variis cognomentis decorato coeteris celebrior hic

Nunc tibi et eloquii nitor ille domesticus adsit,
Qui potuit trepidis utilis esse Reis.
Vivit enim in vobis facundi lingua parentis,
Et res heredem reperit istu suum.
Hoc pater ille tuus primo mihi cultus ab aevo,
Si quid habet sensus umbra diserta petit.
Hoc petit et frater: quamvis fortasse veretur,
Servandi noceat ne tibi cura mei,

Messala Corvinus eumdem ac T. Livius habuit natalem diem si fides est Eusebio in Chronico N.° MDCCCCL. manente adhuc libertate Romana. Accepta hinc a patre, avoque institutione liberali, acer juvenis, et immunis a corruptione Reipublicae praenuncia periturae libertatis, haereditariam virtutem, declinatis periculis, et dignitate retenta conservavit.

VII. Jam enim Cinnae et Syllae Mariique dominationes libertatem attriverant, et Pompei Crassique potentia in Julium Caesarem versa principatum inter corruptos cives, et dissidentes ordinaverat. Sed Caesaris caede recollecta libertas dum videbatur ut flamma facis periturae, imprudentia Bruti Cassiique postquam ejus retinendae occasionem perdidit, interque Triumviros, specie illius caedis vindicandae, admisit contentionem principatus; Quibus offensionibus Messala in ipso flore juventutis, et impar partibus suscipiendis, meruerit ab ipsis Triumviris inter proscriptos referri acriores libertatis as-

sertores incertum est: Nisi quod nimis aversum animum a principatu ferendo juvenili imprudentia aperuisset, cuicumque contingeret, indicante *Tacito annal.* 4. §. 34. - *Messala Corvinus imperatorem suum Cassium praedicabat* -: Forte etiam ob amicitias cum assertoribus acrioribus concussae Triumviratu libertatis invidiam sibi conciliaverat. Praesertim Marci Antonii, quod uteretur *Messala* familiaritate Ciceronis adeo, ut ab eo effusis laudibus, et graphice pictus, testamento veluti, *Bruto* commendaretur (4). Cicerone autem, odio fraude-

(4) Cicero epist. ad Brutum 15. Lib. I. edit. Oliveti. Oxonii 1783. pag. 85. tom. 9.

Messalam habes. Quibus igitur literis tam accurate scriptis assequi possum, subtilius ut explicem, quae geruntur, quaeque sint in Republica, quam tibi is exponet, qui et optime omnia novit; et elegantissime expedire, et deferre ad te potest? Cave enim existimes, Brute . . . . . cave putes, probitate, constantia, cura, studio Reipublicae, quidquam illi esse simile: ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, vix in eo locum ad laudandum habere videatur. Quamquam in hac ipsa, sapientia plus apparet; ita gravi judicio, multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi. Tanta autem industria est, tantumque evigilat in studio, ut non maxima ingenio (quod in ea summum est) gratia habenda videatur.

que Antonii sublato inter decem septem primores libertatis assertores anno U. C. 710. mitius in Messalam animadversum tardiore proscriptione fuit, dato spatio ad evadendum: Messalae siquidem recensionem inter proscriptos Antonio tribuit Dio Cassius miratus aeque facilem ejus, insperatamque incolumitatem(5).

VIII. Periculum namque evasurus *Messala*, consilio forte, et adiutus comendatione perituri Ciceronis, migravit

Sed provehor amore. Neque id propositum est huic epistolae, Messalam ut laudem, praesertim ad Brutum, cui et virtus illius non minus, quam mihi, nota est; et haec ipsa studia, quae laudo, notiora: quem cum a me dimittens graviter ferrem hoc levabor, uno, quod ad te, tamquam ad alterum me, proficiscens, et officio fungebatur, et laudem maximam sequebatur.

(5) Dio Cassius Lib. 47. Anno U. C. 711. Hirtio et Pansa CCss. tom. I. pag. 499. num. 10. edit. Reimari, Hamburgi 1750.

M. Valerius Messala, quum esset ab Antonio morti addictus non modo tuto supervixit, sed etiam in ipsius locum postmodum consul est creatus. Adeo multi ex summis periculis evadunt incolumes, et non pauciores, quum maxime suo statui fidant, intereunt. Quamobrem consentaneum est neque nos ad subitas calamitates animo ita percelli, ut omnem spem projiciamus; neque laetis in praesentia rebus usque adeo efferri ut nihil provideamus: sed expectationem futuri ex aequo in utramque fortunam dirigere, et tutum in utramque partem consilium capere.

in castra Bruti Cassiique, pro libertate agentium in Macedonia. Quae accessio ad istas partes, ob illius claritatem, et necessitudines, adeo Proscribentibus formidini fuit, ut praetexentes causam proscriptionis perinde falsam esse compertam, edicto illum exemerint - *Quoniam Messala, ut ex illius cognatis didicimus ne in Urbe quidem fuit cum C. Caesar occisus est, exemptus esto a Proscriptorum numero* - (6). Sed prudentia civili supra aetatem praestans non fidit ambiguitati, forte ne videretur celebritati cau-

(6) Appianus Alexandrinus de Bellis civilibus Lib. 4. pag. 983. edit. Tolli. Amst. 1670.

Messala nobilis juvenis ad Brutum fugit, cujus magnanimitatem timentes Triumviri edictum tale proferunt: Quoniam Messala, ut ex ipsius cognatis didicimus, ne in Urbe quidem fuit cum C. Caesar occisus est, exemptus esto e proscriptorum numero: at ille uti noluit hac venia. Postquam autem Bruto, Cassioque in Thracia caesis, non contemnendae illius exercitus reliquiae classe pecuniaque ad bene sperandum subnixae, ducem eum sibi optabant, assentire gravatus, persuasit eis, ut fortunae praetergravanti cedentes transirent ad militiam Antonii, cui postea familiariter adhaesit, donec Cleopatrae fastu offensus migravit ad Caesarem, a quo consul in ipsius Antonii locum suffectus, quando ille iterum hostis judicatus est, navali quoque praelio ad Actium pugnavit pro Caesare, deinde contra Gallos rebelles missus, victor triumphum meruit.

sae renunciare, ob quam putatus erat meruisse. Militavit igitur biennio cum Cassio Brutoque: quorum in partibus tantum potentiae habuit, tantumque gratiae apud utrumque, ut intercessione ejus parceretur fratri Gellio, qui licet - *insidiarum convictus, nullo supplicio est affectus. Nam quum eum semper inter primos amicum sibi Brutus duxisset ac M. Messalam, fratrem ejus, Cassio conjunctissimum sciret, missum fecit* - (7) Illis vero ad Philippos caesis anno U. C. 712; et utroque mortuo - *non contemnendae illius exercitus reliquiae classe pecuniaque ad bene sperandum subnixae ducem eum* (Messalam) *sibi optabant; assentire gravatus persuasit eis, ut fortunae praegravanti cedentes transirent ad militiam*

(7) Dio Cassius lib. 47. ad. annum U. C. 712. Lepido II. et Planco. Cons. pag. 507. n. 100.

Gellius autem insidiarum convictus, nullo supplicio est affectus. Nam quum eum semper inter primos amicum sibi Brutus duxisset ac Marcum Messalam, fratrem ejus, Cassio conjunctissimum sciret, missum fecit.

Antonii, cui postea familiariter adhaesit - (8).

IX. Nam post philippensium certaminum infelicem exitum, in quibus strenue pugnaverat, (9) - *Messala fulgentissimus juvenis proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati, cum esset qui eum ducem peterent* - (10), libratis Partium viribus imparibus, cum Antonio convenit de transitu reliquiarum exercitus in militiam illius, et classis deditione: quibus meritis conciliationem cum Augusto maluit prudentius - *quam dubiam spem armorum tentare amplius: Nec aut Caesari quidquam ex victoriis suis fuit laetius quam servasse Corvinum; aut majus exemplum hominis grati ac pii, quam Corvinus in Caesarem fuit* - (10). Sed

(8) Appianus supra relatus (6).

(9) Plutharcus infra (11).

(10) Vellejus Paterculus lib. 2. cap. 71. edit. Runkenii Lug. Bat. 1799. pag. 309. tom. I.

Messala, fulgentissimus juvenis, proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati, cum essent, qui eum ducem peterent, servari beneficio Caesaris maluit, quam dubiam spem armorum

migrationis causam, ne ea vitio verteretur, ipse reddidit Messala - *quum celebraretur a Caesare, quod quanvis fuisset ad Philippos infestissimus ipsis Bruti causa hostis, egregiam operam tamen sibi praebuisse ad Actium, dicens: Me vero, Caesar, semper sectae partiumque invenies meliorum, et justiorum socium* - (11).

X. Itaque pro Augusto in Sicilia militavit Messala adversus Sextum Pompejum moriturae libertatis ultimum et imparem vindicem, fidus adeo partibus,

tentare amplius. Nec Caesari quidquam ex victoriis suis fuit laetius, quam servasse Corvinum, aut majus exemplum hominis grati, ac pii, quam Corvinus in Caesarem fuit.

(11) Plutharcus in Bruto edit. Bryani, Londini 1724. tom. 5. pag. 271.

Stratonem Messala, Bruti amicus, Caesari reconciliatus, commendavit ei aliquando per otium, lacrymansque ait: Hic est, Caesar, qui Bruto meo extremum praestitit officium. Eum Caesar benevolentia complexus habuit in laboribus et certaminibus Actiacis unum ex fortibus Graecis, qui eum sequebantur. Ipsum autem Messalam, quum celebraretur a Caesare, quod quamvis fuisset ad Philippos infestissimus ipsis Bruti causa hostis, egregiam operam tamen sibi praebuisset ad Actium, dixisse: Me vero Caesar, semper sectae partiumque invenies meliorum et justiorum socium.

ad quas, ut meliores superstites, prudentia, et necessitate migraverat, ut primo extremum periclitanti Augusto dederit fidei experimentum (12). – *Nam Caesar in actuariis ad multam noctem jactatus*

(12) Appianus cit. edit. Lib. 5. pag. 116.

Caesar in actuariis ad multam noctem jactatus, incertus ad Cornificium ne, per media naufragia peteret, an ad Messalam refugeret, forte fortuna ad Abelam portum appulit cum unico armigero, destitutus amicis, servis, et satellitibus: quem quidem è montibus ad rem cognoscentem decurrentes invenerunt animo defectum et corpore: et translatum nunc in hoc, nunc in aliud acatium, quo magis hostem fallerent, ad Messalam deportarunt, qui non longe aberat. Inde priusquam corpus curaret ad Cornificium misit Liburnicam, et circa omnes montes dimisit qui nuntiarent se esse incolumen, juberentque omnes opem ferre Cornificio, et ipse per literas pollicitus est eis mox afferre auxilium. Curato deinde corpore cum quievisset modicum, ad Stylida noctu profectus est. Messala eum deducente ad Carinatem paratum ad navigationem cum tribus Legionibus, quem jussit in Liparam traiicere, ipse mox consequturus. Agrippae quoque scripsit: ut periculo eximeret Cornificium celeriter, submittendo cum expeditis Laronium. Maecenatem iterum in Urbem misit, propter quosdam rerum novarum cupidos, in quorum aliquot animadversum est publice: Messalam vero Puteolos, ut legionem primam Vibonem abduceret. Hic Messala Romae a Triumviris proscriptus fuit, propositis interfectori praemiis, sive pecunias, sive libertatem peterent: profugus deinde ad Brutum, et Cassium post illorum mortem Antonio classem ex foedere tradidit. Id nunc memorare libuit Romanae virtutis exemplum, quando Messala habens in potestate proscriptorem suum desolatum, in tanta calamitate refovit ut imperatorem, servavitque.

incertus ad Cornificium ne, per media naufragia peteret, an ad Messalam refugeret, ... ad Messalam deportarunt, qui non longe aberat . . . . . Curato deinde corpore cum quievisset modicum ad Stylida noctu profectus est, Messala eum deducente ad Carinatem paratum ad navigationem cum tribus legionibus . . . . Id nunc memorare libuit Romanae virtutis exemplum, quando Messala habens in potestate proscriptorem desolatum, in tanta calamitate refovit ut imperatorem, servavitque. –

XI. Quo monitus experimento Augustus plus in Messala virtutis esse et prudentiae civilis quam militaris, in utroque eius operam sibi praeparavit subsidiumque crescentis principatus. Rebus enim illius in Sicilia adversus Pompejum feliciter procedentibus, perinde ad Rempublicam libertatemque pertinerent, plura - *Senatus tum Caesari tribuit. Ipse vero Valerium Messalam, quem ante id tempus in tabulis proscriptorum morti addixerat, inter*

Augures ultra numerum usitatum retulit - (13). Verum trepidante libertate Romana, dum Augustus uteretur opera Cilnii Maecenatis - *in Urbem missi propter quosdam rerum novarum cupidos, in quorum aliquos animadversum est publice* - (14) per idem tempus convertendam operam militarem Messalae censuit ad motus Pannoniae compescendos: quo demum Legato anno U. C. 719. -*Salassos, caeterosque, qui eorum rebellionis socii fuerant, Valerius Messala domuit* - Anno U. C. 720. (15).

(13) Dio Cassius Lib. 49. anno U. C. 718. pag. 581. n. 96. edit. Reimari.

Haec Senatus tum Caesari tribuit. Ipse vero Valerium Messalam, quem ante id tempus in tabulis proscriptorum morti addixerat, inter augures ultra numerum usitatum retulit.

(14) Appianus supra relatus (12).

(15) Dio Cassius Lib. 49. ad annum U. C. 720. Antonio II. et L. Scribonio Cons. pag. 597. n. 50. cit. edit. Reimari.

Salassos autem, coeterosque, qui eorum rebellionis socii fuerant, Valerius Messala domuit.

Tibullus Eleg. 7. Lib. 1. ver. 7. edit. Vulpii Patavii 1749. pag. 96.

At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat, niveis currus eburnus equis

XII. His itaque et prudentiae civilis, et militaris virtutis testimoniis tantum apud Augustum Messala gratiae nactus est, ut eum consulatus consortem advocaverit anno U. C. 723. (16) Antonii loco pridem designati, sed jugiter abalienati, ut suspecti, vel ut obstantis fortunae suae submovendi (17). In eum - *annum quidem sequentem Caesar, et Antonius jam olim consules erant designati. . . . Sed*

Nec sine me est tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Testis, et Oceani litora Santonici,
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti et flavi cerula limpha Liger.
Idem lib. 2. elegia I. versu 31. pag. 147.
Gentis Aquitanae celeber Messala triumphis
Et magna intonsis gloria victor avis
Idem elegia I. Lib. I. vers. 53. pag. 16.
Te bellare decet terra, Messala, marique
Ut domus hostiles praeferat exuvias.

(16) Fasti consulares ad hunc annum, et Vellejus Paterculus Lib. 2. cap. 84. pag. 351. cit. edit.

(17) Dio Cassius Lib. 50. ad annum U. C. 723. pag. 610. n. 85. cit. edit.

In annum quidem sequentem Caesar et Antonius jam olim consules erant designati, quum in octo continuos annos, quorum hic ultimus erat, magistratus ordinassent. Sed Antonio deposito sicuti a me demonstratum est, Valerius Messala, quondam ab his proscriptus cum Caesare Consul fuit.*

Antonio deposito . . . . Valerius Messala, quondam ab his proscriptus, cum Caesare consul fuit -. Suscepta vero cum Augusto societas fortunae etiam Messalae laborum, et periculi fuit: Legatus enim Caesaris - *navali quoque praelio ad Actium pugnavit pro Caesare: deinde contra Gallos rebelles missus victor triumphavit* (18) *quum celebraretur a Caesare quod quamvis fuisset ad Philippos infestissimus . . . . hostis, egregiam operam tamen sibi praebuisset ad Actium* - (19): Assertor quidem, dum acer esset, et juvenis, periclitantis libertatis, idemque maturior ad Actium coadjutor profligandae, ubi ea versa in licentiam nisi cum clade civium poterat retineri (20).

XIII. Verum reduce ab Actiacis laboribus Augusto, omnes ordines P. R.,

(18) Appianus Alex. supra relatus (6).

(19) Pluthàrcus supra relatus (11) Vellejus Paterculus Lib. 2. cap. 84. pag. 351. *cit. edit.*

Caesare deinde, et Messala Corvino consulibus debellatum est apud Actium.

(20) Anno U. C. 723.

perinde vindex amissae libertatis accederet, proni ad servitutem in lassitudine civilium discordiarum, atque gestientes dominationi, Messalam fortunae et laborum Augusti socium acceptissimum praefecerunt, ut eum principem salutaret. - *Is mandantibus cunctis: quod bonum, inquit, faustumque sit tibi, domuiquae tuae, Caesar Auguste, (sic nos perpetuam felicitatem Reipublicae, et laeta huic precari existimamus) Senatus te consentiens cum populo Romano consalutat PATRIAE PARENTEM. Qui lacrymans respondit Augustus, his verbis (ipsa enim sicut Messalae posui) Compos factus votorum meorum, Patres C. quid habeo aliud deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitae finem mihi perferre liceat* - (21). Non cessavit tamen a laboribus Messala militiae, sed statim in Aquitanos expeditionem susce-

(21) Ex Svetonio in Octaviano cap. 58. pag. 285. tom. I. edit. Pitisci, Leovardiae 1714.

pit proconsulari imperio, illisque subactis triumphavit (22): Deinde Legatus Augusti, vel extraordinaria potestate, triumphalis missus ad exercitum in Asia, res Ciliciae, Syriae, Pheniciae composuit (23).

XIV. Firmato tunc Augustus principatu, ad beneficia conversus erga eos, quibus erat adiutus aquirendo, uteretur que retinendo, Messalam militaribus honoribus cumulatum avocavit ad munia prudentiae civilis, in qua antea solo Cilnio Maecenate usus fuerat, expertus hanc in Messala pridem evadente a proscriptione, indeque ad partes suas opportunissime transeunte, vel quod - *gladiatores* (Antonii) *postea a Messala decepti alii alio dimissi quasi in Legiones adscribendi per occasionem interfecti sunt* (24) - Au-

(22) Anno U. C. 724. Tibullus supra allatus (15).

(23) Anno U. C. 725. Tibullus supra allatus (15).

(24) Dio Cassius Lib. 51. ad Annum U. C. 724. pag. 638. n. 65. cit. edit.

Gladiatores (Antonii) *postea a Messala decepti alii alio dimissi quasi in Legiones adscribendi, et per occasionem interfecti sunt.*

gustus itaque - *rerum potitus, ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, sumpsit è consularibus qui coercerent servitia, et quod civium audacia turbidum nisi vim metuat: primusque Messala Corvinus eam potestatem, et paucos intra dies finem accepit quasi nescius exercendi* - (25). Causatus siquidem Messala semetipsum - *quasi nescium exercendi* - ne Augusti favorem aspernari videretur, revera - *sexto die magistratu se abdicavit incivilem potestatem esse contestatus* - (26). Tantum inde crevit apud

(25) Cornel Tacitus annal. Lib. 6. §. 11. cit. edit. pag. 354. tom. I.

Coeterum Augustus bellis civilibus Cilnium Maecenatem equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit. Mox rerum potitus ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, sumpsit è consularibus qui coercerent servitia, et quod civium audacia turbidum nisi vim metuat: primusque Messala Corvinus eam potestatem, et paucos infra dies finem accepit, quasi nescius exercendi.

(26) Eusebius Chronico ad numerum MCCCCXC. edit. Scaligeri Amstel: 1658. pag. 155.

Messala Corvinus primus Praefectus Urbis factus sexto die magistratu se abdicavit incivilem potestatem esse ratus.

Ad hunc propterea non pertinet lapis apud Gruterum tom. I. pag. 174. n. 9.

Augustum opinio prudentiae ejus, ut in rebus etiam, quae ad necessarios et familiares suos pertinerent, consilium illius probaret (27), tantumque amicitia praestitit, ut donis quoque privatis illum cumularet (28).

. . . . VS MESSALA V. C. PRAEFECTVS
VRBI. . . . SPLENDOREM PVBLICVM IN
VICO PATRICIO VICTORIAE ET FIERI ET
ORNARI PROCVRABIT

Ipsa indicante latinitate - *et fieri et ornari procuraBit* - Forte ad eum Messalam pertinet, qui anno U. C. 1259. in fastis consularibus, et serie Praefectorum refertur ab Almeloveen edit. Lug. Bat. 1740. pag. 177. et 508. Quamvis Eduardus Corsinus hujus Praefecturam referat ad annum 1152. in sua Praefectorum serie edit. Pisis 1773. pag. 304.

(27) Plinius hist. nat. Lib. 35. cap. 4. edit. Harduini Parisiis 1723. tom. 2. pag. 683.

Quintus Pedius nepos Q. Pedii consularis triumphalisque a Caesare dictatore coheredis Augusti dati, cum natura mutus esset, eum Messala Orator, ex cujus familia pueri avia erat, picturam docendum censuit, idque etiam Divus Augustus comprobavit. Puer magni profectus in ea arte obiit.

(28) Dio Cassius Lib. 53. ad annum U. C. 729. pag. 722. cit. edit.

Quumque domus in Palatino monte, quae prius Antonii fuerat, deinde Agrippae et Messalae concessa, incendio esset absumpta, argento Messalam donavit, Agrippam in suam domum recepit (Augustus).

XV. Coeterum pace civili parta per servitutem, Augusto principe, Messala virtutem militarem convertit ad civilem: Ut imprimis *oratoris* antonomasiam promereretur, quo a patre *sene* distinctus est; nitore facundae linguae - *Qui potuit trepidis utilis esse Reis* (29) - Quamobrem cum celebrioribus quibusque Oratoribus comparatus (30): - *In dicendo nitidus, et candidus et quodammodo praeseferens nobilitatem suam* - (31) *Cicerone mitior, et dulcior et in verbis magis elaboratus* - (32) - *exactissimi ingenii in omneis*

(29) Plinius supra relatus (1). Ovidius (3).

(30) Cornel. Tacitus dialogo de Oratoribus cap. 17. pag. 529. cit. edit.

Sed transeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium ut puto Agrippam qui potest antiquus videri, nostrorum temporum disertis anteponere soletis: Sed Ciceronem, et Caesarem, et Coelium, et Calvum, et Brutum, et Asinium, et Messalam, quos quidem cur antiquis temporibus adscribatis, quam nostris, non video.

(31) Quintilianus Lib. 10. Cap. 1. edit. Burmanni Lug. Bat. 1720. pag. 917.

(32) Tacitus Dialogo de Orat. cap. 18. pag. 530. cit. edit. Horatius arte poetica vers. 669.

. . . . . *Consultus juris et actor*
Causarum mediocris, abest virtute diserti
Messalae . . . . .

quidem studiorum parteis, latini utique sermonis observator diligentissimus (33) - *incorrupta vita et facundia* - (34) judicatus; idcirco exemplo imitandae orationis (35) adeo, ut etiam ipsius literae exscribi, et conservari meruerint (36). Quamquam non defuere, qui carperent eum vitio temporis potius, quam suo (37),

(33) Seneca controv. Lib. 2. pag. 191. edit. Amstel. 1672.

Messala exactissimi ingenii in omneis quidem studiorum parteis, latini utique sermonis observator diligentissimus cum audisset Latronem, dixit: sua lingua disertus est. Ingenium illi concessit, sermonem objecit. Non tulit hanc contumeliam Latro, et pro Pythodoto Messalae orationem disertissimam recitavit.

(34) Tacitus annal. Lib. II. §. 6. 7. pag. 396. 397. cit. edit.

Meminissent C. Asinii, et Messalae, ac recentiorum Arruntii et Aeserninii: ad summa provectos incorrupta vita et facundia . . . . Facile Asinium et Messalam inter Antonium, et Augustum bellorum praemiis refertos.

(35) Svetonius in Tiberio cap. 70. n. 2. pag. 502. cit. edit.

In omni oratione latina sequutus est Messalam, quem senem adolescens observaverat (Tiberius).

(36) Svetonius de claris Grammaticis Cap. 4. n. 3. pag. 1067. cit. edit.

Eosdem literatores vocitatos. Messala Corvinus in quadam epistola, non esse sibi, dicens, rem cum Furio Bibaculo, nec cum Sigida quidem, aut literatore Catone: Significat enim haud dubie, Valerium Catonem poetam simul, gramaticumque notissimum.

(37) Tacitus dialogo de Oratoribus cap. 20. pag. 533. tom. 2. cit. edit.

sed per aetatem suam cum Cicerone compararunt (38) : oratoria proinde facultate ac militia valde ditatus est (39).

XVI. Fuit è converso Messala acer criticus adeo, ut ne Virgilio quidem parceret (40): in dicendo fuit sententiosus (41),

Quis nunc ferat oratorem de infirmitate valetudinis suae praefantem? qualia sunt fere Corvini principia.

Idem ibidem pag. 536. cit. edit.

Nolo Corvinum insequi, quia non per ipsum stetit quominus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret.

(38) Quintilianus instit. orat. Lib. 12. Cap. 11. edit. Burmanni Lug. Bat. 1720. pag. 1113. tom. 2.

Verum ut transeundi spes non sit magna, tamen est dignitas subsequendi. An Pollio et Messala, qui jam Cicerone arcem tenente eloquentiae, agere coeperunt, parum in vita dignitatis habuerunt, parum ad posteros gloriae tradiderunt? Alioqui pessime de rebus humanis perductae ad summum artes mererentur, si quod optimum fuisset, defuisset.

Et cap. 10. pag. 1088.

Oratorum ingens proventus. Hinc vim Caesaris . . . . . dignitatem Messalae reperiemus.

(39) Tacitus supra relatus (34), et Tibullus (15) in fin.

(40) Seneca suasor. 2. pag. 23. tom. 3. cit. edit. 1672.

Sed ut sciatis, sensum bene dictum, dici tamen posse melius notatae prae coeteris quanto decentius Virgilius dixerit hoc, quod valde erat celebre

. . . . . Belli mora concidit Hector
Item
Quidquid apud durae cessatum est moenia Trojae,
Haectoris Aeneaeque manu victoria Grajum
Haesit . . . .

tenax nobilitatis assertor (42), censorque morum acerrimus (43): Et tamen acceptus, post Augustum, doctissimis quibuscumque viris suae aetatis (44). Quorum consuetudine poetice scripsisse, atque tragoedias reputandus est, cum Virgilio,

Messala ajebat hic Virgilium debuisse desinere: quod sequitur

. . . Et in decimum vestigia retulit annum.

explementum esse. Maecenas hoc etiam priori comparabat: - confer Senecam supra relatum (33) et Svetonium (36) et ipsum Senecam suasor. 3. pag. 28.

(41) Seneca de morte Claudii Caesaris, sive apocolocyntosis pag. 854. tom. 2. cit. edit.

Confugiendum est itaque a me ad Messalae Corvini dissertissimi viri illam sententiam: Praecidit jus imperii. hic, PP. CC. qui nobis non posse videtur muscam excitare, tam facile occidebat, quam canis excidit.

Confer adnotata a Cl. Guasco ad apocolocyntosim 141. edition. Vercellis 1787.

(42) Plinius allatus supra (1).

(43) Plinius hist. nat. Lib.33. §. 14. edit. Harduini tom. 2. p.613.

Messala Orator prodidit Antonium aureis usum vasis in omni pudendo, et in crimine Cleopatrae.

(44) Ovidio ut supra (3) Tibullo (15), Virgilio, qui Cirim illi nuncupavit, Horatio (32), et sermon. lib. 1. ser. 6. vers. 43.

M. Terentio Varroni, qui inscripsit librum suum Logistoricum - *Messala de valetudine* - relatum in fragmentis Riccoboni pag. 303. edit. Basileae 1579. Gallioni, cum quo disputasse Messalam refert Seneca suasor. 3. - *quaerebat a Gallione Messala quid illis visus esset Nicetes* -.

et Ovidio in his comparatus (45). At certe quum Augur fuerit a prima aetate (46), scriptus ab eo liber de Auguriis, quem Gellius appellat, reputandus est, cum maxime ad prudentiam civilem Romanae Reipublicae, etiam in principatu, auguria pertinerent (47): Alium

(45) C. Tacitus dialogo de Oratoribus cap. 12. pag. 525. cit. edit. *Nec ullus Asinii aut Messalae liber tam illustris, quam Medea Ovidii, aut Varii Tyestes.*

Plinius Lib. V. epist. 3. edit. Cortii Amstel. 1734. pag. 326. *Facio nonnumquam versiculos severos parum, facio comoedias . . . An ego verear . . . ne me non satis deceat quod decuit M. Tullium, Cajum Calvum, Assinium Pollionem, Marcum Messalam.*

(46) Dio Cassius supra relatus (13).

(47) Aulus Gellius edit. Gronovii L. B. 1706. Lib. 13. cap. 15. pag. 597.

Verba ipsius Messalae subscripsimus. Patriciorum auspicia in duas sunt divisa potestates. maxima sunt, consulum, praetorum, censorum, neque tamen eorum omnium inter se eadem, aut ejusdem potestatis: ideo quod collegae non sunt censores consulum aut praetorum; praetores consulum sunt, ideoque neque consules aut praetores censoribus, neque censores consulibus aut praetoribus turbant aut retinent auspicia. at censores inter se; rursus praetores consulesque inter se et vitiant et obtinent. praetor, etsi collega consulis est, neque praetorem, neque consulem jure rogare potest, ut quidem nos a superioribus accepimus, aut ante haec tempora servatum est: et ut in commentario tertio decimo C. Tuditani patet, quia imperium minus praetor, majus habet consul: et a minore imperio majus aut major collega rogari jure non potest. praetores nos his

etiam scripsisse Messalam in argumento civilis prudentiae librum - *de vectigalium Asiae constitutionibus* - testis est Charisius (48), qui rursus allegat alios *contra Antonii literas*, et *de Antonii Statuis*. Sui denique temporis historiam, cujus tanta pars fuit, scriptam ab illo innuit

temporibus praetore creante veterum auctoritatem sumus sequuti. neque iis comitiis in auspicio fuimus. Censores aeque non eodem rogantur auspicio atque consules et praetores. reliquorum magistratuum minora sunt auspicia: ideo illi minores, hi majores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed justius curiata datur lege. majores centuriatis comitiis fiunt . . . . Consul ab omnibus magistratibus et comitiatum et concionem avocare potest. praetor et comitiatum et concionem usquequaque avocare potest, nisi a consule. minores magistratus nunquam nec comitiatum nec concionem avocare possunt. ea de re, qui eorum primus vocat ad comitiatum, is recte agit: quia bifariam cum populo agi non potest. nec avocare alius alii posset, si concionem habere volunt, uti ne cum populo agant: quamvis multi magistratus simul concionem habere possunt.

Idem Lib. 13. cap. 14. pag. 596.

In Monte Aventino Remus urbis condendae gratia auspicavit, avesque irritas habuit, superatusque in auspiciis a Romulo est. Idcirco omnes, qui pomerium protulerunt, montem istum excluserunt: quasi avibus obscoenis ominosum.

(48) Sosipater Charisius instit. gramm. Lib. I. edit. Putschii Hannoviae 1605. tom. I. pag. 80. appellat Messalae Libros de *Antonii statuis*, et pag. 103. *contra Antonii Literas* et pag. 119. *de vectigalium Asiae constitutione*.

Svetonius (49). Quae quum ad Augustum pertineat, pars ejus forte videri potest *libellus de Augusti progenie* nuper ad meliorem illius aetatem revocatus, codice Vaticano adjuvante N. 843., cujus *rubrica*, ut inquiunt, libellum inscribit - *Messalae Corvini ORATORIS disertissimi* -, istius profecto, qui meruit distingui a pluribus suae gentis celebratis nominibus antonomasia *Oratoris*.

XVII. De virtutibus ejus pauca, et summa: Libertatis propugnator fuit dum poterat more majorum modeste retineri, sed ea inter discordias civiles conclamata, migravit ad partem oppositam, ut superstitem meliorem, quo sanguini civium parceretur; In utraque parte fidus, et periculi occursor firmissimus; militari virtute quantum cuique parti oportebat; prudentia civili quantum sibi et parti-

(49) Svetonius in Octaviano cap. 74. n. 2. pag. 381. cit. edit. *M. Valerius Messala tradidit, neminem unquam Libertinorum adhibitum ab eo (Augusto) coenae excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem post proditam Sex. Pompei classem* - et loco supra relato (21).

bus, quibus adhesit, expediebat; moribus in summa corruptione Reipublicae incorruptus; in adversis constans, in secundis modestus, et mitis, injuriarum contemptor, et offensionum declinator; potens in partibus quas est secutus; laudatus a coevis, Augusti amicus optimi principis, et apud posteros memoriae perpetuae cum desiderio librorum, quos scripsisse traditum est. Quod certum frequentibus testimoniis elogium Viri summi quatuor verbusculis complexus est lapis majestate Romana, et Augusti aetate dignus.

MESSALAE . HON.
ET . VIRTVTIS . CAVS. (50)

XVIII. Tanti autem viri exitus infelix fuit, ut plerumque literatorum. He-

(50) Thes. inscrip. Muratori tom. 2. pag. 722. n. 4. ubi notat. *Id est M. Valerio Messalae, qui Augusto per quam carus, primis dignitatibus Romae functus est. Recte inscriptionem hanc majestate Romana dignam appellavit Egiptius. Ejusmodi gravium elogiorum formam Romani a Graecis didicere.*

bes postremo biennio vixit - *sui nominis oblitus* - (51) - *Messala Corvinus orator ante biennium, quam moreretur, ita memoriam ac sensum amisit, ut vix pauca verba conjungeret, et ad extremum, ulcere sibi circa sacram spinam nato inedia se confecit anno aetatis* LXXII. - auctore Eusebio (52). Quamquam hic suo calculo, ut incertus in die natali, ita perduxerit Messalae vitam ad finem prope principatus Augusti: Ovidius e contra medio circiter principatu, non adhuc exul, ejus funeri adfuisse testetur, et in funere carmina laudis recitasse: gravis autem judicii Tacitus authu-

(51) Plinius hist. nat. Lib. 7. cap. 24. pag. 387. tom. I. cit. edit.

Memoria necessarium maxime bonum . . . . Nec aliud est aeque fragile in homine . . . . Ictus lapide oblitus est literas tantum . . . . sui vero nominis Messala Corvinus orator.

(52) Eusebius Chronic. ad num. MMXXVII. pag. 157. edit. Amstel. 1658.

Messala Corvinus Orator ante biennium, quam moreretur ita memoriam, ac sensum amisit, ut vix pauca verba conjungeret, et ad extremum, ulcere sibi circa sacrum spinam nato, inedia se confecit Anno aetatis LXXII.

met - *Corvinus in medium usque Augusti principatum duravit* - (53). Ejus vero cineres decentiore conditas tumulo innuit Martialis aetate ab inde sua temporis injurias subeunte (54). Sed monumenti rudera si potuit tempus absumere, fortasse effigiem hominis summi datur colligere ab adnexo schemate deprompto ex museo viri illustris R. Mead. Angli.

XIX. Fragmentum enim hoc picturae veteris in pariete repertum Romae fuit anno 1737. inter palatii Caesaris Augusti rudera, ubi nunc sunt horti Farnesiani in monte Palatino, in quo sex figurae arte exquisita, et nitidis coloribus sunt expressae, quarum primaria exhibet Augustum

(53) Ovidius supra relatus (3) Tacitus dialogo de Oratoribus pag. 530 cit. edit.

Nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius pene ad extremum duravit.

(54) Martialis epigr. 2. lib. 10. vers. 9.

Marmora Messalae findit caprificus.

Et epig. 3. lib. 8. vers. 5.

Et cum rupta situ Messalae saxa jacebunt
Altaque cum Licini marmora pulvis erunt.

Vide utrobique adnotata a Collesso.

Augusti cum Aulicis suis pictura



Joach. Lepri sculp.

Ex ruderibus in Monte Palatino.

ipsum sedentem, et coronam alicui, cujus immago est abrupta, porrigentem; forte Pharaati, de quo Horatius I. Epist. 12. vers. 27.

. . . . . *jus imperiumque Pharaates*
Caesaris accepit genibus minor . . .

Coeteri adstant Aulici, inter quos Maecenas toga cerulea indutus, dexteraque indicans coronatum Pharaatem, et pone eum Marcus Agrippa humero ejus dexteram imponens, prout harum imaginum cum nummis, gemmisque similitudo ostendit. Inter vero stipantes Augustum amicos videri Messala potest, qui prope et inter illum est ac creditum Maecenatem. Nam extremus videtur esse Horatius Flaccus ex sua ipsius descriptione corporis exigui (55). Is denique,

(55) Epist. 20. Lib. 1. vers. 24.

Corporis exigui praecanum, solibus aptum

Et serm. 3. Lib. 2. vers. 308.

. . . . . . *Longos imitaris ab imo*
Ad summum totus moduli bipedalis: et idem
Corpore majorem vides . . . .

Festivè longos, pro, divites: cum fuerit ipse alias staturae brevis - notante Baxter ad Horatium suum.

cujus faciei segmentum apparet inter Maecenatem, et Messalam, perinde speculetur a longe, forte est Antonius Musa medicus pro merito servati Augusti elatus honoribus inter Aulicos familiariter habitus (56) ut modo Archiatri apud Principes. Sic vero tabula explicari coepta in editione Horatii Londinensi 1749. omnes Augusti Aulicos, et amicos complexa demonstrat.

FINIS.

(56) Antonius Musa de tuenda valetudine ad Maecenatem pag. 116. edit. Bassani 1800.

Ejus potionis jam tecum habes compositionem, amicissime Maecenas, cum Caesare nostro pariter nos morari meministi, quo tempore haec observando numquam in ullum corporis languorem incidisti. Quo tempore neo nostrum Augustum quidquam molestioris incommodi passum esse nosti.

Svetonius in Augusto cap. 59.

Medico Antonio Musa, cujus opera ex ancipiti morbo convaluerat (Augustus) Statuam aere collato juxta signum Aesculapii statuerunt.

Dio Cassius hist. Rom. Lib. 53. §. 30. num. 95. edit. Reimari pag. 726. tom. I.

Antonius vero Musa quum nihil jam Augustus eorum, quae maxime essent necessaria, posset facere, lavacris frigidis, frigidisque potionibus eum sanitati restituit: quamobrem etiam pecunia ei ab Augusto et Senatu multa, ususque annuli aurei (Libertus enim erat) datus est, immunitasque non ipsi modo, sed omnibus eamdem artem exercentibus in futurum quoque tempus concessa.

Cl. Viro Advoc. Petro Ruga Antecessori Romano, Raphael Mecenate, salutem.

Non dubito, quin tibi nota sit censura de meo Messala. Neque enim puto te non legisse, quae publici iuris fiunt ut legantur a doctis et ponderentur, et tu maxime legas et lance pendeas exactissima. Scire vellem propterea quid censeas. Ego vero gratus benignitati censorum quantum pepercerint; quae ad bibliographiam pertinent laudo; placitura iis, qui graviora studia non sustinentes minoribus illis deliciis maxime occupantur in otio: at coetera non possum collaudare, nempe quod non patiantur scriptorem emergere ab ultima aetate latini sermonis. Recte enim consideres velim, an istam sortem jure scriptori portendant ea, quae severe reprehendunt, ne veterem, mutata licet lectione, opinionem deserant. Ac primum graviorem criminationem ex lectione pag. 25. - *adversoque flumine, quod*

Brentensia nuncupatur · quia non ante Gothorum adventum in Italia flumen *Medoacus* coeperit Brintia vocari. Grave quidem. Verum si animadvertissent quam plures hujusmodi grammaticorum explicationes ope codicis disparuerint, judicium illud continuissent: quia forte quum legeretur eo loco - *adversoque flumine Medoaco* - paedagogus per aetatem suam explicaverit, vel grammaticus adnotaverit margini -*quod Brentensia dicitur*- indeque corruptio altera probabiliter libello accesserit: retinuit enim sequior calligraphus explicationem futilem, perinde meliorem uti suo intellectui et tempori magis accomodatam, - *quod Brentensia dicitur* - praeteriens *Medoaco* veluti nomen arduum et antiquatum. Seposita vero quaestione de aetate mei codicis, notatu dignum est, hunc locum controversum collimare cum Strabone propemodum Augusto coevo, lib. 5. Geographiae - *Ad eam urbem* (Patavii) *a mari subvectio est* adverso flumine . . . . . *Medoaco* - *pag.* 327. *tom* 1.

edit. Amst. 1707. Sic vero omnium corruptiones scriptorum, unius ad alterum subsidio, ad veram lectionem revocandae videntur.

Non erit proinde libellus hoc crimine ad ima subsellia denuo damnandus, vix dum emergit a corruptione, sed potius conjectura restituendus. Nam coetera, quibus irritantur, levia sunt, nec satis maturata. Illud enim, quod legitur p. 37. lin. 7. - *et ingens robur armatorum auxilio secum duxit* -, inflatum nimis visum est criticis, deteriusque indicium declinantis latinitatis. At videant ne, dum Messalam carpunt, obliti Ciceronis videantur eadem dicendi vi utentis - *soboles et robur militum interiit* - etiam in humiliori epist 32. lib. 10. familiar., ne quid de aliis exemplis dicam stylo graviori pro Cluentio sect. 56. - *Cajus Flav. Pusio, Cn. Titinnius, C. Maecenas, illa robora populi Romani, coeterique hujuscemodi ordinis*.

Vellicavit etiam aures delicatulas illud, quod initio legitur - *digneris postulatione tua* - Dixissent tamen, an offendantur verbusculo - *postulatione* - vel alio - *digneris* - an utroque. Nam si hoc vile reputant deterioris indicium servitutis, quam sub Augusto; animadvertant primo, usitatum fuisse Ovidio, Tristium lib. 3. Eleg. 14. vers. penult. *Qualemcumque leges venia dignare libellum*.

At si verbusculo - *postulatione* - irritantur, videant hoc sensu adhibitum fuisse a Cicerone pro Muraena, sect. 23. edit. Oxonii 1783. tom. 5.; ad Q. Fratrem lib. 2. epist. 10. pag. 91. tom. 9., Plaut. in Bacch. act. 3. scen. 3. vers. 45., Terent. in Hecira act. 1. scen. 2. vers. 105.

Graecissat scriptor libelli *pag.* 14. *lin.ult.* nec alio, quod quidem sciam, exemplo verbusculi - *cosmographi* -. Non leve crimen ad demerendum gradum inter latinos scriptores. Sed forte scriptum erat hoc loco - Κοσμογραφου -, interscripta enim apud quosvis bonae aetatis scriptores oc-

currunt graeca verba, queis non adhuc *patrium sermonem ditaverat usus, quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi*. Graecum igitur paedagogus forsitan reddidit latinis literis in margine, et calligraphus, graece rudis, adoptavit ut latinum quod occurrebat in margine. Non inde tamen plectendus auctor, et de meliori sede depellendus.

Successent praeterea *anacronismo*, ut ipsi quidem iudicant, istius scriptoris, referentis ad annum UC. 301. decemvirorum depositionem abdicationemve, perinde incertus scripserit aetate admodum posteriore. Sed vellem recordarentur Dionysii Halicarnassei grave dictum lib. 7. sect. 1 fin. - *Ferendum esset in historicis si exiguo annorum numero in ipsa temporum supputatione fallerentur, praesertim cum priscam et multorum annorum historiam componunt* -. Tanto magis in epoca decemvirorum, quae, intermortuis consulatibus, in romana historia creavit perpetuam difficultatem supputandi an-

nos. Qui quum summae auctoritatis historicus depositionem decemvirorum referat ad annum UC. 307. *Varro* ad an. 301, *Livius* ad annum 304; hic Messala ad annum 301., et denique Diodorus Sic. ad annum secundum olimpiadis LXXXIV. aut omnibus, aut nulli, gradus ob discrepantiam temporis contendendus, ipso Dionysio judice.

Ubinam vero legerint illud - *serenissime auguste* - graviter notatum, quodque coeteris utcumque remotis foret argumento ultimae latinitatis, plane non video in ipsa mea recensione. In vulgatis quidem sect. I in fine legitur - *accelerare maturabo, serenissime Caesar Auguste* -, manifesta grammatici additio: sed recensio ex codice desinit - *accelerabo* -, nec ultra progreditur ad illud - *serenissime*.

Revocant praeterea censores attentionem eruditorum per notulam pag. 10. ad scriptoris frequentem usum versuum Virgilii. Sed quorsum? An ut illum Macrobio comparent, vel Sex. Aurelio Victori,

qui potius exemplum videntur praecursoris Messalae sequuti, aut denique ut reprehendant Messalam ipsum, quasi nihil scientem quam Virgilium? Sed, pace eorum, posset inde contrarium indicium sumi, Messalam voluisse morem gerere Augusto, qui Aeneida, a Virgilio legata flammis, tanti habuit, ut ediceret

Frangatur potius legum veneranda potestas,
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit una dies . . . .

Forte etiam Messala gratus Virgilio ob dedicationem *Ciris*, depravati quondam, et nunc redditi huic libelli, blanditus clientulo fuit ipsius versus passim Augusto commendans.

Plautino etiam sale conspergunt variantem lectionem §. 32. - *violatae Virginiae* - ut quam adversari putant Livio lib. 3. cap. 4. existimanti *intemeratam*. Verum si animadvertissent manus quoque in Virginiam violentas fuisse injectas ad illam perducendam in servitutem M. Claudii, et libidinem Appii, teste Diodoro Sicul.

bibl. 12. sect. 14. tom. 1. edit. Vesselingi Amst. 1646. - *Puellam enim ab illo* (Appio) *in manus traditam ut mancipium suum nebulo adducit* - ; profecto temperassent a joco quisquis scripserit - *poco amico della preziosa verginità di Virginia* - Etenim illud *violare* non semper pertinet ad pudicitiam ; sed in quavis injuria per *contumeliam* , *manu* , *signis* , *ferro verbo*, *nece* , usurpant optimi quique scriptores aurei saeculi . Accedit incertitudo, subacta libidini Appii per artes, nec ne, fuerit Virginia , dubietatem ingerente Dionysio lib. II. sect. 1. et 2. - *Ob has igitur causas visum est mihi persequi omnia, quae in decemviratus abrogatione acciderunt , et quae memoratu digna puto . De illis autem agam , initio non ab ultimis ducto, quae multis videntur sola causa libertatis fuisse , ab iis inquam , quae Appius* AMORE CORREPTUS IN VIRGINEM COMMISIT, *haec enim est aliorum ejus* FACINORUM APPENDIX . . . IN FORMOSAS *eorum uxores* IMPIE SE GEREBANT , ET IN FILIAS

NOBILES CONTUMELIOSI ERANT . . *ut ii, quibus haec minime ferenda videbantur , relicta patria , cum conjugibus et liberis in proximas urbes migrarent* - .

Coeterum duobus aliis , et si qui ultra irrepserunt, erroribus operarum - *praemit* - loco - *premit* - *scropham* - pro - *scrofam* -, correcta decies vulgatae menda ; numquam ab operibus sublata: eis opto indulgeant recreati joco festivissimo, quem Michael Fernus praefixit *recognitioni corruptorum* plusquam MILLE in editione sua elegantium operum Antonii Campani Romae 1495. rarissima quidem cum istis praesertim extremis foliis correctionum , sed apud me integra : quippe praefixum legitur - *Vis ex stulto demens ; idemque ex demente insanus fieri ? Libros primus* ROMAE *imprime - corruptorum recognitio - mille*: cui quum damnatus fuerit sorti Messala meus , ut hic imprimeretur, ignoscant censores , ne , dum videntur excitare - *siffatti studj, pei quali Roma è ben tempo, che riprenda il vanto sopra le*

altre nazioni - acerbitate eliminent potius, quam sollicitent.

Si quis autem *sophista* vel *rhetor* vellet suscipere exercitationem controversiae; an sit libellus Messalae Augusto coaevi, aliqua illi suppeterent *ad suasoriam* argumenta. Ac primum quod omnes noti codices idem nomen, eumdemque titulum praeseferunt (*a*), meo quoque meliore in hoc consentiente; nisi quod codex vaticanus 834. exscriptus ab alio antiquiore (6), addit grave aliud quidpiam - *Messalae* ORATORIS *disertissimi* - ejus, qui coaevus Augusto fuit per antonomasiam ORATOR dictus: cui quidem univoco Messalae codicum consensui accedit animadversio, quod error in libris supposititiis numquam diu viguit. Unum pro multis exemplis commemorabo. Ferebatur enim *Lucii*

(*a*) Codex collegii Lincolniensis a Thoma Hearne collatus in sua editione Oxonii 1703. alter olim reginae Cristinae 11. n. 834. transslatus in bibliothecam Vaticanam, alter collegii novi Oxoniensis relatus in bibliotheca bibliothecarum Montefauconii tom. 1. pag. 665.

(6) Legitur in fine libelli rubro colore scriptum - *Angelus Ferentinates Rabano Iprensi scripsit in Urbe anno Xp. MCCCCLVII.*

Fenestellae nomine libellus *de potestatibus romanorum* inter disputationes criticorum, an esset liber nomine dignus imposito, vel hoc esset appictum. Quaestio sublata fuit prodeunte codice Wiitsii, qui illum retribuit *Floco florentino* edit. Antuerpiae 1561. Putas ne contra per tot saecula latere imposturam de isto Messala? Deinde argumento esse potest restituta lectio libelli, adeo ut, si forte antiquior prodiret codex, qui residuos naevos, si qui sunt, expungeret, ad etatem Augusti retrogrado ordine libellus certo calculo perveniret. Quis enim tantae confidentiae criticus, qui a stylo possit scriptorem determinare, quum quisque suo etiam stylo scribat impraesens, et antea scripserit, et sit quisque *sua lingua disertus?* ut ajebat Messala apud Senecam controv. lib. 2. pag. 191. edit. Amstel. 1672.

Illud vero praecipuum videtur argumentum, quod libellus Messalae nomen praeseferens, et Augusto nuncupatus,

pauca de ipso Augusto contineat cum dignitate modesta §. 35. - *Europa ad extremos fines per te undique pacata . . . . ut nihil te imperante superesset indomitum* - Quamquam si conficta Augusti panegyris vel exercitatio rhetoris ultimae aetatis haec esset, ut visum aliquibus fuit, ampla profecto rethoricae exercitationis suppetebat seges a mutato per bella civilia statu reipublicae, indeque laudandi Augustum commutantem. Exemplaria vero non defuisse dicerentur rhetori, quibus se pro genio aetatis et exercitationis conformaret, Iuliani ad Costantem, Libanii in Basilico, Eumanii, Nazarii, Latini Pacati, Mamertini, Corrippei. Contra igitur pauca scribens de Augusto, et ad Augustum studiose modestus, Messala hic, auctoritatis argumentum videtur perhibere: quippe scribens probe noscenti sua, efferre haud debebat gesta ejus, in quibus scriptor maximam partem habuerat. Messala siquidem militari virtute scientiaque prudentiae civilis praestans, quantum ab

antiquis scriptoribus collecta ejus vita demonstrat, scribebat Augusto, et de Augusto in eadem scientia longe praestantiore, ut qui ex corruptione reipublicae occasionem arripuit blandi principatus suscipiendi, adjatus Messalae virtute militari, non nihil et civili prudentia ejus, et Cilnii Maecenatis. Postremo in ea scientia utrumque praestantem decebat propria dissimulare, ne recenter gestorum laudatione invidiam mutati status reipublicae apud dissidentes a principatu excitaret. Scripsisse praeterea de rebus Augusti Messalam non anceps indicium perhibet Svetonius in Octaviano cap. 74. sect. 2. unde suspicio, progressum ad istum quoque libellum fuisse,

Non levis denique conjectura est versuum Virgilii quasi florum sparsio per totum libellum, ut ante notavi; sive adulatio erga Augustum, sive blanditio Virgilii, denotans Messalam blandientem: nam de assertore libertatis factus est denique Messala aulicus, ut ejus vita demonstrat.

Interea, si non istius Messala vitam, at illius, cui me scribendae blandissime provocasti, Messalae Augusto coaevi excipe, cui concinnandae impendi otium baccanalium, a quibus scis me esse alienissimum. Lege, corrige, et, quod invidiae declinandae opportunius foret, flammis trade. Sed vale.

Ex meo museo, Nonis Martiis 1821.

EXPRESSA SUNT EX UNIS FORMIS

LIBRI EXEMPLARIA C. ALTERUM IN MEMBRANIS

COETERA DENSIORI CHARTA

EXPOLITA

CANDORE QUEM VIDES

OPTIMO

48

DIDUCTUS EST ITEM LIBER

EX IISDEM FORMIS IN EXEMPLA SEPTEM

CHARTA NEC DENSA NEC POLITA

NEC OPTIMA

HAUD NUMERATA